



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Unus Pro Omnibus, Hoc est: Christus Jesus Dei Filius

Ginther, Anton

Augustæ Vindelicorum, 1733

VD18 12431648

Consideratio CXXXV. De immenso pretio sanguinis Christi, in passione & in cruce ad redemptionem animarum nostrarum effusi.


[urn:nbn:de:hbz:466:1-45934](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45934)

deposuit, & in terram projecit, exclamans: *Periisses, nisi te signasses, quia in ipso raptu juvenis signum S. Crucis formaverat.*

Dimissus à Cacodamone, & à tali lapsu tam immiti humi jacens extensus, sanguinè que vomens, tandem ad se reversus, ad flumen manibus, pedibusque prorepit, ad cujus ripam se abluit, ac lento & tremebundo pede, baculo innixus, tandem ad hospitium suum pervenit, ubi sanctiora & saniora cœpit meditari consilia; & quia virtutem Sanctæ Crucis agnovit, in animo contrito & humiliato ad pedes Crucifixi Redemptoris sui prolapsus, veniam temeritatis suæ & peccatorum impensissimè rogavit, & obtinuit, unde relictis omnibus Religionem ingressus, *totum se Cruci & Crucifixo Jesu dedicavit.*

Disce ex hoc, anime mi, quantum possint suspiria & affectus contritionis ad pedes Crucifixi Salvatoris nostri. Proinde ô mi Jesu vulnerate ex toto corde meo doleo, quod unquam à prima mea pueritia hucusque peccaverim, quia te, DEum meum summè Bonum, bonorum omnium fontem offendi; ô si sanguine meo fieri posset, ut non offendissem te, omnem parato animo profunderem, ut tu omnem profudisti pro me in cruce; doleo ô mi

Jesu, Amor Crucifixe!



CONSIDERATIO CXXXV.

De immenso pretio Sanguinis Christi, in passione & in cruce ad redemptionem animarum nostrarum effusi.

Empti estis pretio magno: Glorificate, & portate Deum in corpore vestro. 1. Cor. 6. 20.

Gen. 37. 28.

Josephi Patriarchæ Jacobi filii pretium æstimatum quondam fuit viginti argenteis, ita Scriptura: *Et praterentibus Madianitis negotiatoribus, extrahentes eum de cisterno, vendiderunt eum Ismaelitis viginti argenteis, qui duxerunt eum in Ægyptum.* Christi Domini ac Salvatoris nostri Jesu pretium æstimatum fuit triginta argenteis: *Ar. 118. confi-*

constituerunt triginta argenteos. Plus ultra, plus ultra, & iniquissimi nego-
 tiatores! pretium hoc est sine pretio: Proinde plus offerre quam 15.
 florenos, hanc enim summam triginta illi faciebant argentei; prout
 etiamnum videre est in ejusmodi argenteis, quorum unum genuinum
 Romæ in Basilica S. Crucis in agro Sessoriano quondam vidi, & con-
 templatus sum.

Sed observa ulterius. Judas pœnitentiâ ductus, retulit triginta
 argenteos principibus, ut impium contractum cum eis in initum rescin-
 deret: *Peccavi tradens Sanguinem justum, & projectis argenteis in templo,*
recessit, & abiens laqueo se suspendit. O miserrimè! expecta parum-
 per, & considera: *Quia pretium sanguinis est, & quidem Christi, agni*
immaculati pro delictis universonum in ara crucis immolati. O pre-
 tium sine pretio, de quo S. Paulus: *Empti estis pretio magno.* O verè
 pretium magnum, cui æquiparari non possunt omnes hujus mundi
 thesauri. O si Judas impius Domini traditor adhuc parumper expe-
 ctasset, & non tam citò de sua desperans salute sibi laqueo gulam fre-
 gisset; si dixisset reddens denarios loco: *Peccavi, tradens sanguinem*
justum: Peccavi, tradens sanguinem Jesu; si hoc immensum divini San-
 guinis & nominis Jesu pretium cum Bono Latrone pœnitens, magis
 æstimasset, juxta Euthymium & alios non æternum periisset: *Nam*
longè, inquit, est desperatio, ubi est hujus nominis invocatio. Videamus plura
 de hoc immenso pretio.

2. Ezechias Rex Israelitarum pientissimus, ubi cultum veri Dei à
 patre Achaz sublatum restituere voluit, plura cruenta ac pacifica sacri-
 ficia DEO T. O. M. litavit. Ita Chronicon Regum, ubi de sacrificiis
 agit, exceptum arâ sanguinem frequentius affirmans: *Maclaverunt igitur*
tauros, & susceperunt sanguinem Sacerdotes & fuderunt illum super altare, ma-
claverunt etiam arietes, & illorum sanguinem super altare fuderunt, immolave-
runt agnos, & fuderunt super altare sanguinem. Observa, per omnia ista sa-
 crificia legalia præsignatus fuit Christus Agnus Crucifixus, cujus sacro-
 sanctum ac pretiosissimum sanguinem, cujus *una stilla saluum facere to-*
tum mundum quit ab omni scelere, fuderunt super altare, altare autem hoc
 non erat aliud, quam Crux Dominica, quæ fuit ara Summi Sacerdo-
 tis, & summi Sacrificii, in qua Salvator mundi, dignissima Hostia, sa-
 crificatus est: *Vide, inquit S. Chrysoftomus, Sacramentum ipse se offert:*
ipse sacrificium fuit & sacerdos, Crux altare. Ex quibus patet, quod Crux
 fuerit hominibus instrumentum liberationis & reconciliationis cum
 Deo: *Pacificans, ait Paulus, per sanguinem crucis, sive qua in terris, sive qua*
in caelis sunt. Cognosce ex hoc, anime mi, immensum pretium Sanguinis

Matth. 26. 15

Matth. 27. 4.

1. Cor. 6. 20

2. Paral. 29.

22.

S. Th. Aquin
in hymno.S. Chrysoft.
apud Sand.
Tit. 7.

Col. 1. 20.

nis Christi in passione: ac præsertim in cruce effusi, quia semper man-
sit unicus Verbo Dei, *quod enim Christus assumpsit, nunquam dimisit.*

3. Negociator ille Evangelicus, ubi unam pretiosam margaritam
invenit, omnia sua dare voluit, ut compararet eam, sed illam jam al-
teri, videlicet diabolo venditam reperit; quid fecit? Se ipsum, vitam
& omnem sanguinem obtulit, ac dedit in pretium: *Abiit, & vendidit
omnia, quæ habuit, & emit eam.* Hæc margarita est anima cujusque ho-
minis; ô quàm pretiosa, quia Sanguine Christi ab interitu & jugo dæ-
monis redempta: *Gratis venundati estis, & sine argento redimemini,* sed
non sine sanguine Crucifixi Jesu: Bonum aurum, ait S. Ambrosius,
est sanguis Christi, hunc totum dare statuit, cujus partem dedit in
Circumcisione, partem cum sudore in horto, partem in flagellatione,
partem in coronatione, partem in crucifixione, sed supererat adhuc
parum in Sacratissimo Corde; Et ecce quàm intenso & immenso
amore hanc dilexit margaritam (meam ac tuam animam) unde vo-
luit, ut Longini lanceâ sibi aperiretur cor: *Et continuò exivit sanguis &
aqua,* quo condigno pretio pretiosa illa margarita redempta est: *Egredi-
tur,* subintrat hic Mallonius, *thesaurus absconditus, panditur celeste au-
rium, funditur sanguis, consecratur Ecclesia &c.*

Exclamo hic iterum: *O pretium sine pretio,* cujus infinitum valo-
rem optimè noverat B. Virgo & Mater dolorosa, hinc, prout auctor
est Nicephorus, cum S. Joanne Evangelista hunc pretiosissimum Filii
sui sanguinem de aperto latere ejus promanantem religiosè & honori-
ficè vasculo excepit, ac pro summo suo thesauro sibi reservavit. Bea-
ta verò Maria Magdalena ad radicem crucis vitrum plenum ex terra
rubei coloris & Sanguine Christi rigata, implevit, in quo vitro in die
parasceves adhuc quotannis sanguis ille divinus ebullit. O amanti-
sime Jesu! stillam unicam hujus tui divini cruoris etiam pro me mi-
sero peccatore; altare erit cor meum, quod cruci tuæ suppono: *Asper-
ge me hoc hyssopo, ut in morte mundus inveniar: Fuderunt super altare
sanguinem.* Domine Jesu! etiam super me.

4. Piscina illa Probatica à Salomone quondam constructa, sem-
per rubebat sanguine victimarum, habebatque quinque porticus, in
quibus jacebat multitudo magna languentium expectantium aquæ
motum. Piscina hæc erat index passionis Christi, ait Cornelius, &
quinque porticus quinque SS. Vulnerum ejus, in quam piscinam ubi
Angelus secundum tempus descendit, & movebat aquam, semper
unus languidorum sanus factus est; Sed quid hoc? in sanguine Jesu
crucifixi omnes, si volunt, possunt sanari & salvi fieri: *Qui dilexit nos,
& lavit nos à peccatis in sanguine suo.* O peccatores! ubi estis? Cur non

Math. 13. 46.

Isa. 52. 3.
S. Ambr. in
Psal. 35.

Jo. 19. 34.
Mallon c. 20.

Nicephor.
l. 1. c. 30.

Le Blanc in
Psal. 21. 14.

Jo. 5. 3.

Apoc. 1. 5.

ad SS. Vulnera Christi Jesu crucifixi, & ad Sacratissimum Sanguinem ejus, quod unicum est redemptionis vestrae pretium, acceleratis, & confugitis? Num adhuc ab ore Crucifixi Amoris nostri audire debemus: *Sicut aqua effusus sum?* Ergo passio mea inutilis est, sicut aqua effusa super terram, quae pedibus praetereuntium conculcatur? Quousque tandem, o peccatores, hunc divinissimum sanguinem per peccata vestra conculcabitis? Sanguis agni recens effusus etiam durissimum adamantem, qui nec igne, nec ferro frangi potest, domare & emollire solet, unde lemma: *Sanguine mollescit, vel si mavis: Cruore dissolvor.* Et quem, obsecro, hominem Christianum, licet cor suum posuerit ut adamantem, non emolliat, non frangat Sanguis Jesu Christi, Filii Dei, Agni illius immaculati, & incontaminati?

5. Jacob visâ filii Joseph tunicâ, sanguine conspersâ, ad inferos descendere cupiebat: *Descendam ad filium meum lugens in infernum.* Tanta vis est sanguinis ad commovendos hominum animos. Sic Elephantibus visio sanguine excitantur, & animantur in praelium, unde lemma: *Sanguis robur adauget.* Consule librum secundum Machabæorum cap 6. v. 34. ubi illis ostenderunt sanguinem uræ & mori ad acuendos eos in praelium. Ita Annibal, cum contra Romanos pugnaret, ostenso Elephantis sanguine, ira eos concitavit, ut in medios hostes irruerent intrepidi, & ingentem inter illos stragem ederent. Considera omnes SS. Martyres, quorum undecim milliones Cornelius numerat, unde tantus illis ardor & animus, ad omnia sustinenda adversa & supplicia decumana? Audi S. Augustinum: *Multi Martyres multa tormenta passi sunt, sed nihil sic elucet, quomodo caput Martyrum: ibi melius intuemur, quod illi experti sunt.* Aspiciebant nimirum in Auctorem vitæ & Consummatorem Jesum, qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem, confusione contemptâ; idè alacres currebant ad tormenta; unde factum est, quod sanguis Martyrum fieret semen Christianorum. Ita antiquissimus Tertullianus.

6. Ubi Julius Cæsar primus Imperatorum in senatu Romano Senatoribus malè contentis (ut ita dicam) viginti tribus vulneribus crudeliter in modum fuit interfectus, amici ejus effigiem Cæsaris ex cera artificiosè elaboratam, cum eisdem cruentis in facie & toto corpore inscriptis vulneribus populo Romano in foro publico ad videndam & considerandam repræsentarunt, ad quod horrendum spectaculum ingens animorum motus factus est, Cæsarem ac Dominum suum amaris lacrymis deplorantium.

Si talem motum inter Gentiles cruenta Cæsaris effigies potuit in civibus Romanis causare, quid non faciat devora ac cruenta imago cruci-

Psal. 21. 14.


Gen. 37. 35.

S. August. in Psal. 63.

Appianus lib. 2. de civilibus bellis.

crucifixi JESU, quam Ecclesia in die Parasceves & alias per annum nobis solet proponere, si pio aspectu & mente attentiore illum volumus contemplari, qui pro nobis tam indigna pertulit? Cujus sanguis effusus, ait S. Joan. Chryostomus, omnem terrarum orbem abluit; hic est salus animarum nostrarum, hoc abluatur anima, hoc inflammatur. Olim succlamabant Judæi ad Romanum Judicem Pilatum: Sanguis ejus super nos, Succlamo & ego ad Patrem cœlestem: Sanguis ejus super nos, non ad condemnationem, ah non, sed ad vitam æternam. Finio cum S. Hieronymo: Sanguis Christi clavis paradisi est. Hanc tene, & intrabis in eum.

S. Hieron. Ep.
7. ad Dardan.



CONSIDERATIO CXXXVI.

Invitantur omnes Christiani, ut in vita
& in morte recurrant ad SS. Vulnera Christi
JESU Crucifixi.

Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos. Matth. II. 28.

I.

Jo. 7. 37.

Festum Tabernaculorum adhuc hodie solemniter celebrant Judæi; ad hoc cum Christus Dominus paucis ante passionem suam diebus in Jerusalem ascendisset paulò post crucifigendus, in novissimo die, hoc est in octavo magnæ hujus festivitatis ad populum abeuntem clamavit: *Si quis sitit, veniat ad me, & bibat.* Domine JESU! Quid per hunc clamorem validum, & invitationem ad populum, ut ad te veniret, voluisti indicare? Scio, quòd hæc verba Sancta Mater Ecclesia in hebdomada sancta fidelibus soleat proponere: *Stabat JESUS, & clamabat: Si quis sitit, veniat ad me, & bibat.* Quid ergo per hoc voluisti nobis insinuare?

Zach. 13. 1.

Respondent SS. Patres & Interpretes, quòd pretiosissimus orbis Redemptor Christus illis verbis indicaverit illum fontem, de quo jam pridem vaticinatus erat Zacharias: *In illa die erit fons patens domui David.*